

Christoph Schappeler<sup>1)</sup> an Vadian.*Zürich. 1541. October 13.*

Die Pest in St. Gallen und Zürich.

S. Calamum etsi rudem aridumque continere non possum, doctor clarissime, quin tuam Humanitatem hisce diebus, quibus omnia ferme tristem tætramque<sup>a)</sup> nobis misellis faciem<sup>b)</sup> portendunt, obtundam, amore videlicet in te meo sancto impellente, cui et veniam dabis facillime. Quid porro hisce velim, paucis accipe. Fertur apud nos vulgo de sævissima<sup>a)</sup> apud vos circumquecirca peste incrudescente, id quod hactenus certo compertum habere non potui; sed dii meliora! Tiguri ac ruri passim eadem infectio serpit et mortifera et cita, nec terrarum uspiam eo morbo locus ullus creditur immunis. Atqui quod iam dudum miselli, malorum suorum ignari, tam ardentem petierunt, id rerum universarum dominus, votorum pronus auditor, abunde effundit. Igitur tui tuorumque curam optimam te habiturum non dubitarim, pientissime Vadiane, utque salubris omnibus consistat, deum clementissimum iugis preculis<sup>c)</sup> pulsabimus supplices. Id ipsum te vicissim facturum haud diffido. Optarim autem ea de re, si liceret, certior aliquando abs te reddi. Pater misericordiarum et totius consolationis deus tete nobis perpetuo incolumem salvumque conservet. Interim petitionis meę superioris ad te habitę memor esse ne

dedigneris, fautor unice. Domini gratia et pax nobiscum in finem. Tiguri, 13. Octobris 41.

Agitavit festinus harum nuntius.

Tuus ab animo *C(hristophorus) Sertorius*.

Clarissimo pientissimoque viro domino Ioachimo Vadiano, doctori celeberrimo, patrono suo observandissimo.

Sangallen.

a) „e“ für „æ“. — b) „t“ für „c“. — c) „preꝛ-“.

l) Vgl. III, Brief 339.